

fiteri, inesse aliquem non solum habitatorem in hac caelesti ac divina domo, sed etiam rectorem, et moderatorem, et tanquam architectorem tanti operis, tantique muneris.

2. Ut, si quis in domum aliquam, aut in gymnasium, aut in forum venerit, quum videat omnium rerum rationem, modum, disciplinam, non possit ea sine causa fieri judicare, sed esse aliquem intelligat, qui praesit, et cui pareatur: multo magis in tantis motionibus, tantisque vicisitudinibus, tam multarum rerum atque tantarum ordinibus, in quibus nihil unquam immensa et infinita vetustas mentitatis, statuat necesse est, ab aliqua mente tantos naturae motus gubernari.

### CAPUT III.

#### NATURA DEI EST OPTIMA, ET PRAESTANTISSIMA.

1. Opiniones veterum philosophorum de natura dei fuerunt variae, atque inter se dissidentes, quas longum ac difficile esset dinumerare. Natura duce intelligebant, deum esse, sed non conveniebat inter illos, quid deus esset.

Itaque quum tyrannus, Hiero, quaesivisset de Simonide, non poëta solum suavi, verum etiam caeteroqui docto sapienteque, quid deus esset, deliberandi caussa sibi unum diem postulavit. Quum idem ex eo postridie quaereret, biduum petivit. Quum saepius duplicaret numerum dierum, admiransque Hiero requereret, cur ita faceret: *Quia quanto, inquit, diutius considero, tanto mihi res videtur obscurior.*

2. Egregie Aristoteles ait, nunquam nos verecundiores esse debere, quam quum de diis agitur. Si intramus templum compositi, si ad sacrificium accessuri vultum submittimus, togam adducimus, si in omne argumentum modestiae fingimur: quanto hoc magis facere debemus, quum de sideribus,